

Forfatter: Brahe, Tyge

Titel: BREV TIL: Rantzau, Henrik FRA: Brahe, Tyge (1586-03-23)

Citation: Brahe, Tyge: "BREV TIL: Rantzau, Henrik FRA: Brahe, Tyge (1586-03-23)", i *Tychonis Brahe Dani opera omnia (7. bind)*, HAUNIÆ MCMXIX IN LIBRARIA GYLDENDALIANA, s. 101. Onlineudgave fra Danmarks Breve: <https://tekster.kb.dk/text/letters-001573955-X02-shoot-L001573955X020024.pdf> (tilgået 24. juli 2024)

Anvendt udgave: Tychonis Brahe Dani opera omnia (7. bind)

Ophavsret: Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk dog altid at kreditere ophavsmanden.

[Læs Public Domain-erklæringen](#)

[*Ex adumbratione Tychonis in codice Vindobonensi lat. 106894*]

TYCHO BRAHE AD HENRICUM

RANZOVIUM.

QUOD prioribus tuis litteris, Nobilissime et Eruditissime Domine RANZOVI, nunc quam vel tu exspectâras vel ipse propofueram, ferius respondeam, effecit Hyemis asperitas, quæ infulam hanc undique glacie circumfæptam, quo minus hinc multo tempore solveretur, præpedivit, dumque interea alijs rebus occupor, facile fit, ut per ineuriam mora hæc mihi vel invito obrepuerit, quam ut candide interpreteris etiam atque etiam te rogatum volo. Quantum ad Landgravij petitionem attinet de observationibus Cometæ præterito anno visi, quas a me ipse Cellitudo desiderat (velut ab exemplari litterarum tibi inscriptarum mihi transmissis cognovi) existimo me ipse desiderijs pro virili satisfecisse. Dedi enim hoc nomine circa initium huius mensis ad ipsum Cellitudinem litteras et unâ adiunxi compendiosam quandam eius Cometæ ex observationibus nostris descriptionem. || Habebam autem primum in animo hæc tibi mittere, ut per commodam opportunitatem tuo iussu D. Landgravio adferrentur. Verum cum interea negotium quoddam in nundinis Francfordensibus expediendum mihi occurreret, quod certum aliquem et proprium nuntium requirebat, non ignarus Cassellas, ubi Principis Landgravij aula s. 102 est, in ipso itinere versus Francofurtum constitui, uni ex meis domesticis, qui ad nundinas illas meo nomine profecturus erat, ea etiam, quæ D. Landgravio erant referenda, commisi; verum ut tu etiam conficiis reddaris eorum, quæ Principi illi a me communicata sunt, curavi tum epistolam, tum etiam ea, quæ de Cometa illo conscriberem, denuo exarari eorumque singulorum exemplar tibi inspicendum cognoscendumque mitto. Addidi etiam Diarium quoddam Astrologicum et Meteorologicum huius anni, a quodam meo studioforum elaboratum et fex alia exemplaria. || Motuum ...Solis a nobis restitutum, cuius in litteris ad D. Landgravium datis fit mentio, siquidem is in hoc Diario continetur, non ... iudicium opus esse peculiari carta denotare.

Quantum vero ad posteriores tuas litteras attinet, quas ante triduum accepi, unâ cum D. Decani Colonienfis litteris et quibusdam pieturis urbium et aliarum rerum per cupri cælaturam expressis, cuperem equidem ipse D. Decani votis in mittendis plurium urbium, quas expetit, delineationibus, adiectis etiam rerum illic gestarum annalibus, satisfacere, sed neminem hinc habere possum, qui eas appime delineare novit. Nec mihi circa rerum Astronomicarum penitiorum inquisitionem gnæviter occupato otium conceditur ad diversa negotia evagandi. Rescribam autem ipsemet Domino Decano, quam primum per otium licuerit, nunc enim præpeditus sum quodam libello Regi nostro conscribendo, quem intra Paschatis festum me absoluturum promisi. Quod si quid interea ad ipsum litterarum dederis, rogo ut moram hanc meam in referendo apud ipsum excusare velis; dabo operam, ut prima quaque occasione ipse exspectationi satisfiat. Vale. Datæ Uraniburgi 23. Martij Anno 1586.